NVPTIAS AVSPICATISS.
Viro Integerr.
DN. MATTHÆO ACHSMANN,
&
Fœminæ Pudiciſs.
PETRONIÆ BARBARÆ
Dn. Michaëlis Breweri, Civis & Mercatoris Vratislavienſis relictæ Viduæ;

Ad d. 12. Auguſti Anno 1631. Gedani celebrandas:

GRATULANTUR SOCER ET AMICI.

DANTISCI, typis RHETIANIS.

Galliambe jo! lyram pulchricomi bene resonam
Phœbi, quæ tristis hactenus tristia nimium
Proh! nobis parte posticâ inimica gemuit, &
Animos confudit; ô jube! læta celeriter
Anticâ cantet ah io! dulce bene-sonans.
Scilicet JEHOVAH *sic bonus tristibus aliis*
Multis miscet PATER *pius mitia, miseris*
Nobis aliquando seriò gaudia, miseros
Animos recreans. Jube ergo communia mala post,
Et mortes tot piorum, sacra fataq; Socerî,
Socrûs, Affinîs, Uxoris, *& ô pia* mea *tot*
Thalami pignora. *DEVS nunc jubet omnia, bonaq;*
Vota Primogenitæ, *inoffensaq; verba repetere*
Me *pro* Votis secundis; Pia, prospera, bonaq;
Sint undiquaq; vota hæc: *Humili & prece petere.*
Post hujus vitæ acerbæ mala tristia-misera
In cœlis ut sequantur citò gaudia solida.

Petrus Kirstenius, D.

Ad Clariss. atq; Excellentiss. Sponsæ Parentem.

AD Thalami invitas me, Vir Clarissime, Festũ,
Dum repetit socium Filia cara thorum.
Ut veniã affectus, quô Te colo, svadet & urget;
At reprimit, quam non exprimo, caussa gravis.
Contrà igitur Votum, comitem quoniam ire negatũ,
Pro me, Vota imô pectore fusa, cape.
Et Sponsum & Sponsam comitetur gratia JOVÆ,
Inq; via det Eis, sit procul omne malum.
Atq; ubi, Dantisci Te Clarum invisere Patrem,
Contigerit, cedant cætera cuncta bene.

Quò

Quò læte Thalami peragantur Festa, fugetur,
Curarum & luctus inde molesta cohors.
Et quia mens illis, hîc fixam ponere sedem,
Optatus patriæ reddat Eos reditus.
Pôstq; in Conjugio svavi sic cuncta secunda,
Largiter id summô dante Parente, fluant.
Lætitiæ quò grata seges virescat in annos,
Complures, aveas sæpius hinc & Avus.

Amor. & Observ. c.
scr. Vratisl.

Caspar Titius Phil. & Med. D.

CYTHERÆA.

SYlvicolæ Fauni, quibus est tutamen eorum,
Longa peregrinô quos via ducit agrô.
Eia! leves Satyri, talî deducite pompâ,
Ad Gedani, Sponsum, mœnia clara meæ.
Clangat io! Pœan. & io! tua tibia, Pæan;
Et resonet cantu, Pan, nemus omne tuô.
Atq; senem excutias ne potus, Aselle, Silenum:
Cum face lucentî, prævius ibit Amor.
Vos Charites caram mediô comprendite Sponsam,
Agmine, formosas inter Hamadryadas.
Mirtea quæq; gerat circum sua tempora serta,
Atq; agili quatiat nablia festa manu.
Vos Nymphæ varios per compita spargite flores,
Spargite cum caro cinnama odora croco.
Ipsa meô ducam genialem numine cœtum,
Vt de Marte fero tuta sit illa meo.
At Sponsus tacitâ cum Sponsa, mente, pudicâ,
Vellet in optato jam jacuisse toro.
Et cupidis votis horam desiderat illam,
Quâ micat auricomis Hesperus altus equis.

Desine,

Desine. mox aderit, nec nos tua vota moramur
Jam scandet thalamum Sponsa venusta tuum.
Jam procul apparent Gedanensis culmina templi,
Fulgur & auratô turris ab ære micat:
Occurritq; Senex Natæ KIRSTENIUS, ecce!
Pieridum Patrem concomitante chorô.
Sed quàm svavicrepis modulantur carmina nervis,
Heu! sileat raucô fistula nostra sonô.

AD SPONSAM.

Nomina de dura petra, *PETRONIA,* dura-
barbara *quantumvis, BARBARA pulchra, geras:*
Barbara *nec Sponso; nec eris quoq;* Dura *Marito:*
Sic facili concors volvitur AXE torus.

G. H. M.D.

Ad SPONSÆ Parentem, V.CL. Excell.q;

NUper, Clare Virûm, Tibi BARBARA longa dolo- (ris,
Nunc est lætitiæ BARBARA caussa Tibi.
Scilicet, in chara quod strinxit Conjuge, vul- (nus,
In Nata properat consolidare, DEUS.
Hinc nova Votorum meritò argumenta notamus,
Argumenta piis condecoranda sonis.
Quæ Matri rapuit, Natæ prolonget in annis,
Stamina, Parcarum regula certa, Deus.
Incolumem incolumis Natam, ex Nataq; Nepotum,
Dissimili videas ordine svave decus.

Basilius Zölner/ G.Th. ProR.

Ornatissimi ac Lectissimi novi SPONSI
ACHSMANNUS, KIERSTEINIS;
In Paragrammate triangul. exactè:
PAR LECTUM RECTUMQVE.

Prolubiò

PRolubiò *summi fiunt Connubia JOVÆ,*
Ipsius hæc mirè pronuba dextra regit.
Tobias *juvenis peregrinans,* Abramidesq;,
Persidos *exemplô* Rex *probat ipse suô.*
Vos pariter, terris, Neonymphos, *Arbiter idem,*
Disjunctos patriis, jungit amore, DEUS.
PAR LECTUM RECTUMQUE; DEUS pia cepta secundet.
Concordiq; liget Vos duo Corcla jugô.
Et quia Dantisci *Socialia Sacra paratis,*
Fixuri deinde in Breslidos *urbe lares;*
Vos Sacra Turma tegat peregreq; domiq; morantes,
Immunes Martis Mortis & insidiis.
Ros cœli Vobis, axungia *depluat usq;,*
Axe *suô felix* Biga jugalis *eat.*
Sit DOMINI donum *Sponsæ* Matthæus *amatum,*
Sponsaq; sic Sponso Petra *quietis erit.*
Fundat Hymen Vobis & Amoris pignera Pullos,
Qui vestrum decorent amplificentq; genus:
Qui blandô referant vultu KIRSTENIDA Matrem,
ACHSMANNUM cultu mente catâq; Patrem.
Qualis Avus nunc est maternus ad æthera Clarus;
Famâ pervolitent Artis utrumq; solum.

ANNÔ:

sIt paX MVLta saLVs kIrstenIDI; VIta parentI!
eX anIMI fIbrIs repreCatVr In VrbE bVDorgI;

locôq; Sui, gratus & gratulabundus præsentat

Christophorus Schwartzbach,
L.L. P.L.Cæs.

Cùm

Cùm luctui sat temporis
Indulseris, Doctissime
KIRSTEN, Tuo; PETRONIA
Sponsa &, Tuo sat temporis
Indulseris cùm luctui:
Decet vicissim lacrymas
Lenire centum gaudiîs
Claris tubæ clangoribûs,
Dulcîs lyræ sonoribûs,
Et tibiarum cantibûs,
Et nabliorum cantibûs.
Cur, dixeris, cum cantibus
Abstergerem jam lacrymas?
Vos nempe si perpenditis
Cum Sorte Mortem pallidam,
Nuper Parentes funere
Quæ sustulit carissimos;
Decet vicissim lacrymas
Mutare mille in gaudia
Strepentibûsq́; barbiti
Chordîs, lyræq́; nervulîs
Et personante nabliô,
Frontem corollîs cingere
Decet vicissim floridîs.
Ornare Tædas carmine,
Quas urget Ignis fervidus,
ACHSMANNE, Tuus pecto-
Musam meã quoq́; addecet. (re
Hoc exigit virtus Tua,
Genusq́; id exigit Tuum;
Id postulat peritia,
Poscitq́; idipsum relligio:
Phœbus quibûs cum Gratiîs,
Sororibusq́; cæteris,
Cinxêre mentem; strenuos
Dum post labores præmiô
Donant, novus dicaris ut
Sponsus *novæ* Viraginis,
Quã CHRISTVS ipse cœlitus
Dedit, Tibiq́; dotibûs
Adauxit illam plurimîs.
Hanc namq́; vestit castitas
Modestia hanc, & gloria
Famæ, Bonîs dum nata sit;
Hanc ornat & pium decus
Mentis, Tibi DOS aurea.
Dotes quis omnes Sponsulæ est
Vates potis conscribere?
Te jam beatum quilibet
Ex asse toto cogitet,
Quòd tale munus cœlitus
JEHOVA summus miserit.
Mitte ergo Sponse lacrymas,
Frontem magisq́; cingito
Sertô, quod ipsa porrigit
Tibi Virago, nobilî,
Amoris ergo splendida:
Et vivito cum Sponsula
In suaviis, & basiis
Sonantibûsq́; barbiti
Nervîs, lyræ, testudinis,
Dulcîs tubæ clangoribûs,
Et nabliorum cantibûs,
Et tibiarum cantibûs:
Amare & hanc non desinas,
Orpheus suam usq́; ad inferos
Ceu qvondam amavit conjugẽ;
Amore rursus Sponsula
Tuî æstuabit indies,
Ceu Sara conjugis suî.
Quid hôc amore dulcius,
Quid hôc amore blandius,
Restat pio connubio?
Si mî loqvela Nestoris
Esset senis, tunc commoda,
Manantia ex connubio
Vestro, valerem scribere.
Omitto quare talia
Cùm detur haut mî fundere, &
Pergo preces ad fœderis
Vestri novi primordium
Tales: Sacri qui primus es
Fundator ô connubii
Nempe in novis has nuptias,
Quæso, secunda flatibus
Faustîs; & hos, quos unica
Duos jugavit copula,
Novos beato conjuges,
Pro tristibus dans gaudia,
Pro litibus concordiam,
Pacemq́; pro discordia,
Toriq́; cara pignora
Dans agminatim, plurimùm
Vt augeatur indies
SPONSI vetus prosapies,
SPONSÆ vetus prosapies,
Dans Nestorisq́; secula
SPONSO, Sibyllæ secula
SPONSÆ. Deus votis meis
Rex magne pondus adjice.

Johannes Cossius Medicus.

Adeste ô Veneres, Cupidinesq́;,
Et trinæ Charites, Prothymiæq́;,
Risus, Blanditiæ, Procacitates,
Lusus, Illecebræ, Sales, Jociq́;,
Et quodcunq́; genus Facetiarum,
Et quodcunq́; genus Tripudiorum,
Amantum male-sana corda mulcet;
Adeste ô pariter chorô frequentî,
Huc adeste, sacro & bene ominantes
Acclamate toro Thalassionem.
Nam Brewera sui cubile Sponsi
Matthæi subiit cubile Sponsa,
Annîs integra, moribûs probata.

O factum

O factum lepidum, venustulumq;,
Dignum versiculô facetiorî!
Gaude sorte Tuâ, Mathæe, gaude;
En Tî Sponsa diu supina tandem
In sinu recubat Tuô petita:
Illa illa ingenii Bonîs decora,
Ac Clari sata nominis Parente,
Blandîs grata genîs virago, grata
Mellitîsq; labrîs, nigrisq; ocellîs;
Cujus brachiolum Tibi rotundum,
Cujus lacteolas datur manusq;,
Et palpare latusculum tenellum;
Quæ Te purpureô ore svaviata
Sexcentas feret osculationes.
Ah! quid svavius hîs beatiusvè est?
Et Petronia Barbra Sponsa gaude;
Complexum gremiô foves Maritum.
Formâ conspicuum, artibus politum:
Hic suspiria, mòrsiunculasq;
Inter milleq; basiationes,
Nunc Tecum teneros inire lusus,
Ac somnos properat videre, noctis
Umbrâ dum redeat dies fugatâ.
Ah! quantum est hominum beatiorum,
Quis sensit Venerem auspicatiorem?
   Vivas molliter, ô Mathæe; Sponsi
Vivas delitiæ tuiq; Barbra.
Qui nunc unanimes torô ligavit,
Hic Vos prole beet DEUS perenni.

Hermannus Cajus, Mülhus.
Thuring. LL. Stud.